



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio II. De exactionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO II.  
De exactionibus.

## §. I.

*Quanam sint exactiones ordinariae Episcopis seu Prælati Ecclesiasticis à subditis Clericis, vel Laicis præstandae?*

**I**nter exactiones ordinarias Episcopo solvendas numeratur primum portio Canonica, quæ debetur Episcopo, ex quibuscunque legatis piis, quæ sunt Ecclesiis, aut aliis piis locis in diocesi existentibus, de qua *h. lib. tit. 26. sect. 4. §. 4.* Secundò numeratur synodicum, seu Cathedralicum à singulis Clericis certæ Diocesis ad synodum vocandis, in ea, in honorem Cathedræ Episcopalis solvendum, de qua *L. 1. Decret. tit. 31. sect. 3. §. 9.* Tertio numeratur quarta decimarum, & quarta mortuorum, de quibus loco modò citato. Quarto numeratur procuratio præstanda in visitationibus, de qua sectione sequente, ita tamen, ut in his plerisque solvendis attendenda potius sit loci consuetudo, quàm jurium decisio, uti jam dictum.

## §. II.

*An prædium, vel fundus Ecclesiæ in dotem assignatus liber sit ab omni servitio, tributo, & onere?*

**L**iberum debere esse fundum talem ab omni servitio, & tributo temporali, non autem Ecclesiastico, ex *c. 1. h. t.* sumitur, cum fundus talis sit sustentatione ministrorum Ecclesiæ, &

aliis necessariis usibus Ecclesiæ constitutus, nisi talia bona ab antiquo, aut sint tributanea, qui, cum suo jure, quo habent, ad censum ex tali fundo, non cesserint, consequenter, ne in ius præjudicium fiat, in tali fundo doti Ecclesiæ constitui non potest, vel censum onere suo reali fundus hic in Ecclesiæ transibit, saltem in eo casu, quo non abundans constituitur, ut omnibus præferendis sufficiat. Quòd si tamen pauper, qui dotem constituit, censum non centum, in dote tali Ecclesiæ constituta, relevasset, maneret quidem ad hoc censum patrono dissolvendum Ecclesiæ obligata, si dos constituta ad tale onus ferendum sufficiens esset, nulla tamen foret talis reservatio, si dos constituta pro juribus necessariis Ecclesiæ, necessaria foret.

## §. III.

*Quis possit imponere collectas, & exactiones novas extraordinarias, & quibus illæ imponi possint?*

**Q**uamquam secularium possint collectas, & exactiones extraordinarias imponere, viderint Covilla, circa sub pena Canonica, excommunicationis etiam incurrendæ, prohibentur vectigalia, gabelle, & ejusmodi onera illicitè, & sine legitima auctoritate imposita. Utum autem Ecclesiæ, Clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, ad hæc extraordinaria onera à Laicis imponi solentur, ex *c. Quamquam, 4. h. t.* satis decideri potest, ubi tales exactiones severè prohibentur, & ex *tit. 47. h. t.*



magis patebit. Patet etiam ex c. Licet 4. h. t. quod cæci, ad tales exactiones solvendas obligari non possint, uti nec pauperes, quos excusat inopia.

## §. IV.

An, & quâ ratione Episcopi, aliiq; Prælati illis inferiores, possint collatas extraordinarias suis subditis imponere, vel ab illis exigere?

Prohibetur quidem his omnibus in c. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus h. t. ne subditos suos exactionibus (extraordinariis) gravent; conceditur tamen etiam omnibus Episcopis, modò legitime electi, & confirmati sint, etiam si nondum sint consecrati, & qui majorem in subditos suos habent, ut à Clericis beneficiatis, & ab Ecclesiis sibi subiectis, subsidium, ut vocant, charitativum, sive auxilium moderatum, cum charitate, sæpius etiam exigere possint, (si causa manifesta, & rationabilis, dissolvendorum v. g. Episcopatus debitorum, consecrationis Episcopalis, fabricæ Ecclesiæ, belli avertendi, & c. necessitas, aut totius Ecclesiæ bonum subsit) ex rebus Ecclesiasticis solvendum; ita ut Episcopus quidem omnino illud remittere non possit, cum ex vi juris communis debeat, & ne in unius præ altero præjudicium, aut injustum gravamen cedat hæc exactio; neque tamen ad hoc solvendum cogi possit, qui vel nullum beneficium habent, vel redditus ex eo redè exiguos, ut vix congruam sustentationem exinde habeant, quamvis pinguis patrimonialia habeant, cum eorum hoc onus sit, qui fructibus Ecclesiæ gaudent.

## SECTIO III.

## De procuracionibus.

## §. I.

An, cur, & quomodo procuraciones sint præstandæ visitantibus Ecclesiis, & Clericis; & an etiam exigi, ac recipi possint in pecunia?

Procuracionum nomine hæc intelliguntur illæ expensæ, quæ præstari debent Prælati, quibus ex officio incumbit visitare Ecclesias, ita ut solvi hæc procuraciones debeant actu visitantibus Ecclesiis, vel Clericis c. Procuraciones. 23. h. t. ut ne ob defectum sustentationis, ex proprio solvendæ, intermittatur visitationis utilitas, & ut ne qui visitat, suis stipendiis visitare debeat. Debent autem hæc procuraciones visitationis tempore solvendæ, moderatæ esse, ita ut Ecclesiæ non graventur nimium, habitâ ratiose facultatum illarum c. Sopita 14. c. procuracionis 23. & c. Cum nuper 25. h. t. Trident. sess. 24. cap. 3. De reformat. & communiter consistunt circa victualia, honestum scilicet cibum, & potum pro visitatore, ejusque moderato comitatu, ac pabulum pro equis præbendo, juxta receptam patriæ illius consuetudinem, & visitatoris conditionem, ita ut veteræ etiam nonnunquam, sarcinas necessarias hinc inde transferentes, solvi debeant. Et quamvis olim pro procuracionibus talibus pecunia non poterit exigi ab invitis can. prolata 9. caus. 14. q. 1. c. Romana 1. §. Procuraciones h. t. in 6. neque esculenta, aut poculenta nisi